

Domini millesimo trecentesimo quadragesimo quinto et secundum modum yspanicum, Era millesima trecentesima octuagesima terciā.

Heliaz.

(Sur le repli se lisent les signatures suivantes, au-dessous desquelles sont les sceaux sur double queue de parchemin):

J. de Viana, archiepiscopus Remensis.
Gundisalvus, episcopus Seguntinus.
J. de Timaro, abbas de Columbis,
Savarinus de Vivona, miles.
Reginaldus de Viana, thesaurarius Remensis.

(Les sceaux de l'archevêque de Reims, de l'évêque de Sigüenza, de Savari de Vivonne subsistent très mutilés; les deux autres manquent.)

Archives Nat., J 602, n° 44.

13

Traité d'alliance entre la France et la Castille, où les cas particuliers qui peuvent se présenter sont prévus.

Léon, 1^{er} juillet 1345.

Procuratores, nuncii et tractatores serenissimorum principum dominorum regum Francie et Castelle, scilicet Johannes de Viana, archiepiscopus Remensis, Johannes de Timaro, abbas Beate Marie de Colombis, Savaricus de Vivona, dominus de Tors et Reginaldus de Viana, thesaurarius Remensis, procuratores et nuncii domini regis Francie, et Guandissalvus (*sic*), episcopus Segontinus ac Ferrandus Sancii de Valleoleti, miles, major notarius in Castella, tractatores nomine domini regis Castelle faciunt, conveniunt et juramento una pars alteri vicissim nominibus quibus supra promittunt pactiones, convenciones et amiciciarum alligaciones inter dictos dominos reges pro se et suis valituras que secuntur, videlicet quod si contingat regem Bellamarini cum sua potestate, vel ejus potestatem affretare vel transire ad invadendum regna vel dominium Castelle, dicto rege Francie per regem Castelle vel ejus certum

nuncium vel litteras suas requisito, rex Francie faciet sibi succursum ad expensas dicti regis Castelle, proviso statui regni sui et guerre sue, si tunc guerram haberet vel verissimiliter habiturus esset; tamen prima vice, dictus rex Francie propter servicium Dei et augmentacionem Christianitatis necnon contemplacione dicti regis Castelle et intuitu et in relevacione expensarum ab ipso in guerris Sarracenorum huc usque factarum, providebit ipsi regi Castelle de tali sucursu, ad ejusdem regis Francie expensas, quod dictus rex Castelle debebit merito contentari. Et si rex Anglie cum sua potestate, aut ejus potestas affretaret vel transiret citra mare ad invadendum regnum Francie, dicto rege Castelle per regem Francie, ejus certum nuncium vel per suas litteras requisito, dictus rex Castelle faciet prefato regi Francie succursum, ad expensas dicti regis Francie, talem quod debebit merito contentari, proviso statui regni sui et guerre sue, si tunc guerram haberet vel verissimiliter habiturus esset; hoc vero pacto duraturo sic duntaxat inter personas domini Alfonsi regis Castelle qui nunc est et personam domini Philippi regis Francie nunc regnantis, et est actum expresse quod non obstante isto articulo personalitatem dominorum regum Francie et Castelle solum tangente, omnes confederaciones, pax et amicitiarum ligamina facte et inite de novo et jampridem inter dictos dominos reges pro se, heredibus et successoribus eorum, prout continetur in quolibet articulo earundem et specialiter in articulo qui incipit « Sane », durabunt perpetuo inter dictos dominos, reges et heredes et successores eorum et contra omnem hominem viventem vel victurum habebunt perpetuam roboris firmitatem, prout in certis aliis confederacionibus et amicitiarum ligaminibus de novo et in aliis jampridem alias inter dictos dominos reges pro se et heredibus et successoribus suis factis ac initis, latius continetur. Preterea si aliquis vel aliqui de regno Francie vellent venire in servicio Dei ad guerram Sarracenorum in auxilium domini regis Castelle, rege Francie tunc non habente guerram publicam seu appertam vel verissimiliter habituro, placebit ei quod ipsi veniant et eos non impediet nec precipiet vel mandabit eorum impedire adventum; eciam si haberet guerram, proviso statui ipsius guerre et regni sui, volentes ad dictum servicium venire, non impediet nec mandabit impedire venire; similique modo, rege Castelle guerram publicam vel appertam non habente, illos de regno vel regnis suis qui accedere voluerint in regno Francie ad servicium regis Francie in guerris suis, non impediet vel mandabit aut faciet impedire, sed placebit ei quod accedant ad dicti regis Francie servicium, eciam si

guerram haberet, proviso statui guerre sue et regni sui prout supra. Et est sciendum quod de premissis fuerunt facte littere duplicate ejusdem tenoris, quarum alias procuratores et nuncii predicti domini Francie regis portarunt et alie prefatis tractatoribus dicti domini Castelle et Legionis regis remanserunt.

In quorum premissorum omnium et singulorum fidem et testimonium, nos supradicti archiepiscopus, abbas et thesaurarius et nichilominus nos archiepiscopus vice prenominati domini de Tors litteras ignorantis, ad ejus instanciam, nuncii dicti domini regis Francie, et nos Gondissalvus Segontinus episcopus, Legionis major notarius et Ferrandus Sancii de Valleoleti, miles, notarius major Castelle, tractatores pro dicto domino rege Castelle ad predicta specialiter deputati, nomina nostra necnon nos, dictus archiepiscopus, nomen dicti domini de Tors, presentibus subscripsimus litteris, et nichilominus omnes insimul et nostrum quilibet, eciam nos dictus Savarinus, nominibus quibus supra, sigilla nostra duximus eisdem literis apponenda.

Actum in civitate Legionensi et datum prima die julli, anno Domini millesimo trecentesimo quadragésimo quinto et secundum morem yspanicum, Era millesima ccc^a octuagesima tertia.

Hélias.

(Scellé sur double queue de parchemin des sceaux des six plénipotentiaires: trois seulement subsistent en partie.)

Archives Nat., J 602, n° 42.

14

Clément VI félicite Alphonse XI d'avoir suivi ses conseils.

Avignon, 12 août 1345.

Carissimo in Christo filio Alfonso regi Castelle illustri.

Letanter admodum et gratanter percepto quod tu, fili carissime, precibus et exhortationibus nostris super contrahendo inter dilectum filium nobilem virum Petrum infantem primogenitum tuum et unam de puellis inclitis domus regalis Frantie, Deo propitio, contra-